



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1658**

§. 58. Quid me interrogas? v. 21.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45556**

quatinus, & cura fatue alijs nostra credimus, ea evulgata esse ingemiscimus. Bis stolti. quod tacenda locuti sumus, & quæ publica fecimus garrindo nomen: occulta esse velimus.

§. 58. *Quid me interrogas? v. 21.*

Multis modis hoc dictū potest accipi. 1. Improperatorie sic: tu vilis & indigne, quid me tam excellentem audes interrogare? tunc me examinare? 2. denuntiative sic: Frustra me in iudicio interrogas de qualitate mea & rerum mearum, quem aliquis curat capi, de eo debet iam ante captivitatem mandatam esse informatus. si ita non est factum, ordo iudicij non est servatus, sed passionibus occultis captus, & pretextus latentis dolo solum quæritur. Priore modo non credo D. meum locutum esse, quia mitis erat & humilis corde: posteriore ergo modo præsumo fuisse locutum.

**D**omine, admiror tuam generositate quæ ita pulchrè apparet, ut ideo te omnes præsentés debuisse admirari & venerari, imo advertere te valde præclare semper egisse, atque clarissimas vitæ tuæ habere rationes. Quoniam ad aliorum, etiam inimicorum, conscientiam, & iudicia ausus fuisti appellare. Da obsecro fidelibus tuis similem confidentiam, & ut hanc assèqui possint, da prius in vivendo similem providentiam. Amen.

§. 59. *Interroga eos qui audierunt quid locutus sum ipsis. v. 21.*

Exigebat sane iudicialis ordo, ut iudex antequam hominem accusatam de crimine vel comprehendat vel in carcerem conjiciat testes super impostis criminibus audiat, istud vero prætermittam fuerat, hinc Christus sicut dixi, in libertate spiritus respondit, nihil veritus hostes suos, sed docet Pontificem, quod sit præposterus ordo, dum eum prius comprehendit iusserint, quam super doctrina eius testes audierint, ut ergo interrogaret sero quotquot veller, de sua doctrina & vjta rogat, vel permittit, nihil de discipulis dicit nec accusat eorum infirmitatem nec excusat infidelitatem: quia Magister vel Doctor, aut Paterfamilias non debet reus fieri pro suis discipulis aut ministris, si ipse nihil mali eos docuerit aut imperarit. Sed quid Interrogas eum o Anna vel Caipha de doctrina quæ tot miraculis publicitus fuit confirmata? mille habet probationes à viris ac mulieribus, à cæcis & mutis, à primariis, & plebeis, à peritis & imperitis, ab ægris & leprosis denique & mortuis, hos omnes interrogare te deceret. Audires certè ab ipsiusmet hostibus, *nunquam sic locutus est homo.* Interroga Nicodemum & audies eum dicentem: *Verè à Deo venisti magister:* interroga Nathanaëlem etiam